

VIRI
MAGNIFICI, GENEROSI,
atque AMPLISSIMI,
DOMINI
FRANCISCI
ADAMI
RHODII,

Præ-Consulis Civitatis Regiæ Elbingensis
gravissimi,
nec non

Scholarchæ, ac Præfecti Ecclesiarum
meritissimi,

BURGGRABIALI
DIGNITATI,

IV. Non. Aprilis, A.O.R. MDCCXV.
collatæ,

*observantissima mente
gratulatur*

GYMNASIUM ELBINGENSE,
interprete

CHRISTIANO JACOBO KOITZSCHIO,
Gymn. Rect.

ELBINGÆ,
Typis SAMUELIS PREUSSII.



* * *

Ic Rhodus! hic saltus!

RHODIO enim florente, non quidem saltandi,
at subsultandi tamen ansa datur
Rhodo Elbingensi.

Ista, Veneris filia, (a) saltandi artibus inclaruit:

**Hæc, Cruciferorum soboles, ipsis natalibus suis didicit,
Sobrium fere neminem saltare: (b)**

cum tantum
per crucem ad lucem,
per angusta ad augusta
certus detur aditus.

Attramen

**Exultare non dubitat, cœlo propitio favente;
cum**

FRANCISCUS ADAMUS RHODIUS,

Civitatis, Ecclesiarum, Musarumque

GENEROSUS PRÆSUL,

non periculoso saltu,
sed accelerato gradu,
ad dignitatis apicem adscendat.

Merito igitur exultant Musæ, exultante Civitate:

præsertim eo tempore,

quo lætari ipsum *Lætare* jubet:

votique bis damnatæ

tertium secunda quoque sperant.

Vi-

(a) Pindar. Olymp. ode 7. epod. 1.

(b) Cic. pro Muræ. c. 6.

Pol. 8. III. 739 / up



Vidimus enim solem sub nubilo splendidum,

TE,

VIR MAGNIFICE,

SCHOLARCHAM incolumem,

PRÆCONSULEM hospitem,

PRÆSIDEM florentem

dum vidimus.

Fruiti sumus cœlo in tempestatibus sereno,

tuo sub præsidio dum salvi fuimus.

Nam

PRÆSES

vigilanti prudentia,

incorrupta iustitia,

invicta constantia,

erudita facundia,

paterna solertia,

Quantum bonum bonus sit magistratus,

docuisti.

Bonum hoc immortale, quantum mortalitas capit,

Civitas exoptat,

Musa sperat,

Serenissimus Sarmatiæ REGNATOR comprobatur.

Hinc,

dum blandi soles, ignotaque prodit hirundo,

inter nubila Phœbus

non oreris, sed surgis.

Etenim

Dum lampada tradis, illustrem splendorem induis:

dum gubernacula deponis, Regias partes obis.

Caput esse desinis, ut supra Caput emineas;

& ut splendidius præsis, Præsidis munere Te abdicas,

BURGGRABIUS REGIUS

declaratus.

Sic honos honoris præmium, gratumque onus

oneris hostimentum est.

Nec enim alia præmia, nisi labores, virtus expetit:
Optimaque bene meritis hæc merces est, bene mereri posse.

Lato igitur augurio

ab Urbis Præsidio ad ejusdem transis Patrocinium:

ut plenius declares,

TE præfuisse Patrem Patriæ,

moresque hos paternos honore non mutari, sed augeri.

Nova

Novo vere novam dignitatem auspicas,
Virtus enim antiqua toties renascitur,
quoties novam bene merendi occasionem adipiscitur:
toties reflorescit,
quoties novis benefaciendi viribus inclarescit.

Ideoque,
cum in occasum vergere commune videatur,
Tu, cum sole adscendente, altius surgis:
ut nec nos melioris sortis spes in desperatis deserat,
sed in morem palmæ sursum nitamur pressi.

Musa,
honoris Tuo, ac fortunæ suæ in Tua congratulans,
rosas loqui, vel ^{podicēsu} saltem sermone exoptaret,
RHODII nisi nominis rosea venustas alienum
decus recusaret.

Nec tamen tacere pietas permittit;
sed vota pro salutis tuæ perpetuitate hæcce imperat:
In rosis vivas RHODIUS;

iisque decerpendis quidem, quo pluribus profis;
nec tamen deflorescentibus, quo semper profis.
Sit ver Tibi perpetuum, perpetuo ut floreas.

Si vero hiemem lex naturæ imperat,
ipsis hibernis rosis fors Tua superfloreat.

Ceterum,
cum *Josua* dicato die fasces Burggrabiales ceperis,
Summus rerum Moderator

Josua sapientiam,

Josua fortunam,

Josua ætatem

Tibi tribuat:

faxitque,

ut TE,

VIR MAGNIFICE,

florente,

salvisque reliquis PATRIBUS Amplissimis,
apud nos quoque,

fugato mœrore, lætius redeat *Latere*:
cessante hieme, *Rhodus* nostra in rosis reviviscat:
reflorescente Republica, amplior exultandi seges cunctis veniat:
ac nunquam non,

alio tamen, quam vulgo solet, sensu,
dicere queamus:

Hic Rhodus! hic saltus!